



## I. Abteilung: Abhandlungen.

### De demonstrabilitate Existentiae Dei.

#### Dissertatio.

Scrīpsit Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

a) Cum existentia Dei non innotescat nobis per seipsam in hac vita mortali, consequens est ut media aliqua veritate ordinis naturalis detegatur; siquidem illam naturaliter novimus, nec aliter quidquam cognosci potest nisi aut per se aut per aliud. Omnis autem veritas de ordine reali est vel de ideali: inquirendum est ergo an id per quod existentiam Dei naturaliter detegimus, sit aliquid de ordine possibilitatis, vel aliquid realiter existens. Circa possibilia autem scire oportet quod in iis quae concipiuntur a nobis, distinguendae sunt rei possibilitas et ejusdem rei conceptio tamquam in nobis existens. Nam res non ideo est possibilis, sive intrinseca possibilitate sive extrinseca, quia cogitatur a nobis; sed nihilominus res a nobis cogitata cognosci a nobis potest vere possibilis. Sic ergo intellecta divinitatis notione, id est, non de accidente mentis nostrae, sed de rei essentia, seu de re cogitata et ad objectivum ordinem pertinente, dubitari potest an ex eadem notione inferri possit existentia Dei: nam ad ordinem subjectivum quod attinet, quis non videat, neque existentem esse Deum neque possibilem ex eo praecise quod cogitetur a nobis?

b) Itaque de ordine objectivo sciendum est, distinctionem possibilitatis rei in intrinsecam et extrinsecam in entibus duntaxat quae esse non possunt nisi ab alio, locum habere posse, essentiae vero entis *a se* absolute repugnare. Dum igitur de Deo loquimur ut possibili, sola possibilitas ejus intrinseca intelligenda est. Sed eo ipso quod repugnat notioni divinae essentiae possibilitas extrinseca, repugnat etiam Deus mere possibilis cum sola

possibilitate intrinseca: nam quatenus mere possibilis, non habet actu existentiam; quatenus vero possibilitas extrinseca non conuenit ei, non potest existentiam ab alio ente recipere. Atqui quod neque existit, neque existere potest, absolute impossibile est. Ergo omne ens vel actu existit, vel ex utraque possibilitate, intrinseca nempe ac extrinseca, existere potest, non autem e sola possibilitate intrinseca. E qua quidem circa diuinitatis conceptum elucubratione concludendum fortasse alicui videatur quod, cum diuina essentia vere sit possibilis, quoniam est quid pure positivum; cum sola autem possibilitate seu absque existentia evadat impossibilis, quoniam existentia involvitur in conceptu ejus; sufficit Deum cogitare, ad sciendum Deum esse: et nihilominus haec ipsa incompossibilitas merae possibilitatis cum notione diuinae essentiae aptissimum medium est ad demonstrandum, existentiam Dei inferri non posse e sola diuinitatis notione. Nam Deus mere possibilis, quem in nostra supponimus mente conceptum, eo ipso quod mera possibilitas pugnat cum notione deitatis, non potest pertinere ad ordinem objectivum, sed est quid mere cogitatum: atqui veritas rerum non pendet a cogitatione nostra, neque aliquid in nostra mente conceptum fundare valet scientificam demonstrationem tamquam a nobis cogitatum, sed tamquam pertinens ad ordinem objectivum: ergo ex concepta in nobis essentia vel notione deitatis, secluso alio medio, non licet inferre Dei existentiam. Porro cum essentia deitatis idem sit cum existentia ejus, et consequenter ipsa essentia, ut mere possibilis, locum non habeat in ordine objectivo; si datur talis essentia, utique datur et existentia ejus; sed ob eandem rationem, si existentia non constat nobis, etiam essentia constare non potest. Non ergo ipsa existentia ex essentiae notione recte deducitur; bene vero ex identitate existentiae cum essentia asserere licet, quod si Deus existit, necessario existit, siquidem Deus mere possibilis implicat in terminis.

c) Sed dices: quum essentia Dei cogitatur ut possibilis, intelligitur vere possibilis, id est, in ordine objectivo, praescindendo a cognitione existentiae ipsius Dei: et ratio est, quia si essentia diuina non est possibilis, nihil omnino est possibile; asserendum est nihilum absolutum rerum omnium; nam res omnes a se non existentes ab essentia diuina habent possibilitatem suam: atqui nihilum absolutum repugnat. Sufficit ergo Deum cogitare, ad sciendum Deum esse; quia essentia diuina est vere possibilis, et consequenter existens. — Ego autem similiter dico: inter Dei existentiam vel nihilum absolutum rerum omnium non datur medium: nam si Deus non existit, non est unde possibilis existentiam accipiant, et sic desinunt possibilis esse; et Deus ipse mere possibilis impossibilis est, quippe neque a se existentiam habet, neque ab alio accipere potest. Recte ergo dicitur quod si

essentia divina non est possibilis, nihil omnino est possibile; verumtamen quae ab essentia divina possibilitatem habent, non ab ea pendent ut mere possibili, sed ut existenti, uti ostensum est. Ergo ex possibilitate entium vel ex repugnantia nihili absoluti non sola possibilitas, sed existentia infertur divinae essentiae; et consequenter in hoc discursu non procedit mens a Dei essentia ad existentiam, sed a rebus contingentibus vel possibilibus ad existentiam causae earum. Praeterquam quod unde novimus nihilum absolutum repugnare, nisi quia aliquid existere certi sumus? Si igitur ex eo quod aliquid existere nobis constat, essentiarum possibilitatem novimus, essentiae divinae possibilitas non per solam ejusdem essentiae cogitationem innotescit nobis, sed per aliorum quoque entium ab ea dependentiam; quae quidem dependentia nulla esset, si divina essentia non necessario existeret. Ergo per nihili absoluti repugnantiam non sola possibilitas, sed existentia probatur divinae essentiae.

d) Est igitur inter divinam essentiam et alias omnes relatio causalitatis, quatenus nihil praeter illam existere potest quod non sit causatum ab ea. Unde sufficit aliquod existens cognoscere, ad cognoscendam existentiam divinae essentiae, si de essentia ipsa cogitetur: cum enim inter hujus essentiae existentiam vel nihilum absolutum non detur medium, posito aliquid existere, praescindendo a natura ejus, certo divina essentia existit; illud enim vel divina essentia est, vel effectus ipsius. Erroneum igitur non est, in hoc sensu dicere, quod sufficit de Deo cogitare ad sciendum Deum esse: in quo quidem sensu loqui credendus est quicumque hanc sententiam proferat, nisi aliam esse mentem suam aliquo modo significet: cui enim nihili absoluti vel possibilitas in mentem veniat? omni quippe cogitanti et cogitationis et suipsius saltem existentia certo constat. Cum igitur aliquid existere evidentissimum sit ante omnem mentis considerationem circa naturam rerum existentium, si talis daretur status mentis, quod scilicet de Deo aliquis cogitaret ante cognitionem existentiae ejus, vere demonstratio fieri posset existentiae ipsius per relationem causalitatis et notitia cujuslibet realis existentiae. In hoc autem casu demonstrationis medium relatio causalitatis esset, spectata a causa ad effectum, non vero ab effectu ad causam; spectata videlicet in attributo essentiae divinae quod est „causans omnia quae sint extra se“. Non esset, inquam, hujus demonstrationis medium relatio effectus ad causam, quia demonstratio ipsa locum non habet nisi in hypothesi quod ignoretur, aut per abstractionem praetermitatur, an id quod cognoscitur existens, sit causatum vel secus: hoc enim ignorato, effectus existentia non constat, nec proinde constare posset per rationem effectus existentia causae, quae ex effectu reali infertur quidem, non autem ex ideali. Ista igitur

existentiae Dei demonstratio fundatur in ipsa natura essentiae absolute perfectae, quatenus ex eo quod ei convenit esse principium omnium entium, nulla existentia concipitur possibilis, quin existens supponatur ipsa essentia absolute perfecta. Et quamvis illud attributum essentiae perfectissimae, quod est „causans omnia quae sint extra se“, ut medium demonstrationis, est mere ideale, sicut essentia de qua praedicatur; evadit tamen reale per cognitionem alicujus realis existentiae, quae vel ipsius essentiae est, vel effectus illius. Est igitur haec demonstratio partim a priori, vel, si magis placet, a simultaneo, partim a posteriori. A priori quidem, quia posito aliquid existere, quin constet illud effectum esse, ex divinae essentiae notione infertur existentia ipsius, quatenus necesse est, aut nihil existere, aut divinam essentiam existentem esse, et in hoc sensu sufficit Deum cogitare, ad sciendum Deum esse. A posteriori vero, quia eo ipso quod supponitur non constare qualis sit rei existentis natura, ex ejusdem existentia divinae essentiae existentia non deducitur nisi quatenus nihil praeter eandem essentiam existere potest quod non sit effectus ipsius.

e) Quae autem de hac demonstratione dicta sunt, quae-  
sionem in abstractio respiciunt, secundum necessarias videlicet rerum relationes et ordinem idearum in ipsis relationibus fundatum, praecisione facta status vel conditionis subjecti demonstrationem peracturi. Si vero ad modum quo humanus intellectus objectum suum attingit, attendamus, profecto impossibilis evadit dicta demonstratio, nisi fiat post aliam, id est, existentia Dei jam aliunde cognita, cum ante ejusdem existentiae cognitionem non possit homo cogitare de Deo. Homo namque ideas acquirit vel per praesentiam objectorum quae ipsae repraesentant, ut cum Luna nobis apparet in coelo adspectabilis; vel per compositionem ex ideis jam acquisitis, ut cum ex idea montis et ex idea auri montem aureum in mente confingo; vel demum per illationem ex natura eorum quae ideae jam acquisitae repraesentant, ut cum quis ex eo quod rite excultum cernat aliquem agrum, manum hominem illi admovisse cognoscit. Jam vero nequit homo habere ideam Dei, secundum essentiam tantum, neque per praesentiam ejus, neque specie desumpta ex aliquo entium nobis praesentium. Non per praesentiam ejus: nam si Deus esset nobis visibilis, non cognosceretur a nobis ut possibilis vel secundum essentiam tantum, sed ut realiter existens, quod est contra suppositum; praeter quam quod in hac hypothese Dei existentia non per aliquem demonstraretur discursum, cum per se nobis esset conspicua. Non specie desumpta ex aliquo entium quorum praesentiam habemus: Dei enim nomine intelligitur causa omnium entium: quodecumque autem ex entibus visibilibus imaginemur, nequit idea ejus repraesentare nisi unum aut plura possibilis ejusdem speciei cum eo,

nequaquam vero causam omnium entium; cum enim de hujus causae natura nihil omnino solo rationis lumine sciamus nisi per relationem causalitatis, nihilque proinde cogitare de ea possimus nisi incipiendo ab ipsa relatione, consequens est quod nihil de causa ipsa exhibeat quaecumque idea aliquod entium nobis praesentium repraesentans, nisi ista entia cognoscantur ut causata; sed in hac hypothesi Deus non cogitatur tantum, sed existere cognoscitur. Insuper nec possibile est ut rerum sensibilium operationes cernens, cogitet homo de causa possibili omnium entium ante cognitionem existentiae ejus. Nam cum homo a rebus sensibilibus accipiat species quibus in mente ejus repraesentantur ea quae cognoscit, non potest cogitare de causalitate in genere quin realem prius causalitatem in rerum sensibilium operationibus deprehenderit; e rerum autem sensibilium contemplatione mentem levare ad Conditorum earum, actus est facilissimus et quasi naturalis, ut ejus in humano genere universalitate et quoad loca et quoad tempora comprobatur; et consequenter, dato, non concessio, posse hominem discursu mentali causalitatem superiorem de qua agimus, et a qua causalitates inferiores longissime distant, ut mere possibilem invenire, vel simpliciter cogitare, antequam tamen ad hoc deveniret, ipsius causalitatis ut realiter existentis notitiam haberet. Dato autem dixi, non concessio: quis enim cogitet causam invisibilem rerum visibilium, nisi res ipsas visibiles causatas agnoscat, et realiter proinde existentem ipsam causam earum? Deinde quod attinet ad compositionem ex speciebus rerum visibilium, pariter evidens est non posse per eam gigni in nobis ideam Dei. Nam compositum istud vel accipitur tamquam medium arbitrarium ad Deum aequaliter, licet impropria specie, repraesentandum, vel tamquam propria species repraesentans quod Deus est: si primum, impossibile est ideam Dei exurgere in nobis ex dicta compositione; si enim id quod assumitur ad Deum repraesentandum, illum non repraesentat ex natura sua, sed ex intentione cogitantis, jam non est compositio id per quod gignitur idea Dei, siquidem eo ipso quod compositum hujusmodi Deum non repraesentat ex natura sua, illud homo ad Deum repraesentandum non assumeret, nisi prius alia occasione vel causa de Deo cogitasset: si alterum, repraesentatio Dei non est minus impossibilis; nam praeterquam quod Deum nemo vidit umquam, id quod primum de Deo occurrere debet cogitanti, est illum esse causam rerum omnium, idea autem compositi nihil habet commune cum idea causae, cum potius omne compositum sit essentialiter causatum; et proinde compositi notio pugnat cum notione causae primae, quae aliam excludit a qua causata sit. Sed notetur bene quod asserui, per compositionem nempe ex ideis entium nobis praesentium non posse gigni in nobis ideam

Dei. Ipsa namque idea nequit sane occurrere nobis, ut probatum est, occasione praefatae compositionis; verumtamen cum speciem proprie repraesentantem quod Deus est, in mente non habeamus; quum de illo secundum relationem causalitatis cogitamus, aliqua specie a rebus sensibilibus assumpta opus habemus ad illum nobis aequaliter repraesentandum; quae quidem species multiformiter varia esse potest pro cogitantis conditione, aut pro modo quo ipse de Deo cogitare didicit. Restat igitur ut causalitatis relationem per quam idea Dei occurrit nobis, e rerum sensibilibus natura eruamus, quatenus videlicet cum res sensibiles limitatae appareant et imperfectae, atque certo ordini et legibus subjectae, ex earum contemplatione mens humana naturaliter fertur in aliud ens in quo sit invenire rationem existentiae earum. Tunc ergo de Deo primitus cogitatur quum per effectus ejus detegitur ipsius existentia realis; ideoque impossibile est de Deo cogitare ante cognitionem existentiae ejus. Nequit ergo humanus intellectus in Dei ut mere possibilis cognitione versari: medium autem demonstrationis qua existentiam Dei invenimus seu primo cognoscimus, relatio causalitatis est, ab effectu ad causam spectata, non a causa ad effectum. Quamvis autem Deum primo non aliter quam mediis realibus ejus effectibus cognoscamus; hoc tamen non obstat quominus Dei existentia jam per medium istud intellecta, possit homo ipsam per medium alterum, id est, per attributum illud supradictum essentiae divinae secundo demonstrare, quatenus videlicet spectatis necessariis rerum relationibus, quin ad rationem effectus realis in rebus creatis considerandam se convertat, vel ab ipsa per abstractionem praescindens, certitudini de aliqua reali existentia tantum innixus, concludit realem existentiam Dei ex eo quod inter ipsam vel nihilum absolutum non detur medium.

f) Itaque existentia Dei, quamvis intellectu facillima, demonstrabilis tamen est, seu non per se nota. Demonstrabile quippe aliquid non est, vel quia per se seu sine medio cognoscitur, vel quia intellectui non sunt media demonstrationis peragenda: existentia autem Dei, id est, entitas Dei, et sensui et intellectui occulta est; et ideo Deum existere per objectivam Dei praesentiam cognosci a nobis naturaliter non potest; nec tamen desunt media existentiae hujus veritatem per discursum detegendi, ut supra ostensum est, et amplius adhuc demonstrabitur. S. Thomas (Part. I, Quaest. II, Art. I) docet quo sensu Deum esse non sit per se notum, dicens: „Respondeo dicendum, quod contingit aliquid esse per se notum dupliciter. Uno modo secundum se, et non quoad nos. Alio modo secundum se, et quoad nos. Ex hoc enim aliqua propositio est per se nota, quod praedicatum includitur in ratione subjecti, ut homo est animal: nam animal est de ratione hominis. Si igitur notum sit omnibus de praedicato,

et de subjecto quid sit, propositio illa erit omnibus per se nota, sicut patet in primis demonstrationum principiis, quorum termini sunt quaedam communia quae nullus ignorat, ut ens et non ens, totum et pars, et similia. Si autem apud aliquos notum non sit de praedicato et subjecto quid sit, propositio quidem, quantum in se est, erit per se nota, non tamen apud illos qui praedicatum et subjectum propositionis ignorant. Et ideo contingit ut dicit Boet. in lib. de hebdom., quod quaedam sunt communes animi conceptiones, et per se notae apud sapientes tantum, ut incorporalia in loco non esse. Dico ergo quod haec propositio, Deus est, quantum in se est, per se nota est; quia praedicatum est idem cum subjecto. Deus enim est suum esse, ut infra patebit. Sed quia nos non scimus de Deo quid est, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea quae sunt magis nota quoad nos, et minus nota quoad naturam, scilicet, per effectus. Notare autem oportet in primis circa hoc S. Thomae argumentum, quod propositionem Deus est dicit esse per se notam, eo quod praedicatum, ut ipse ait, idem sit cum subjecto, quia Deus est suum esse; et nihilominus asserit, propositionem ipsam non esse nobis per se notam, quia nos, inquit, non scimus de Deo quid est. Sed quomodo, quaeso, affirmare potuit talem propositionem esse per se notam, si illi per se nota non fuit, id est, si praedicati et subjecti identitatem ipse non cognovit? Rursus quomodo dicere potuit, se non scire de Deo quid sit, et ideo propositionem Deus est non esse illi per se notam; cum antea affirmaverit, ideo propositionem ipsam esse per se notam quia praedicatum, ut ipse vult, est idem cum subjecto, eo quod Deus sit suum esse? Aut igitur locutiones istae contradictoriae sunt; dicitur enim nescire nos quid Deus sit, simulque affirmatur praedicatum esse idem cum subjecto Deus, eo quod Deus sit suum esse; aut ratiocinium istud nullum est ob defectum unitatis termini medii, quatenus uno sensu affirmatur et alio negatur sciri a nobis quid sit Deus. Omnino propositio per se nota illis talis est qui talem esse evidenter intelligunt; talemque profecto intelligere sibi videntur qui talem esse asserunt: quomodo ergo affirmat S. Doctor, propositionem Deus est non esse nobis per se notam, cum eam ipse per se notam pronuntiet? Et quomodo rursus negat scire nos de Deo quid est, cum ipse dicat quod Deus est suum esse? Numquid praedicari quidquam potest de aliquo subjecto tamquam pertinens ad id quod subjectum est, si omni ex parte ignoretur quid subjectum sit? Nescimus profecto quid Deus sit, quatenus talem illum non novimus qualem noverunt videntes eum; sed cognoscimus eum quantum satis est, ut identitatem existentiae ejus cum essentia affirmemus; quam ideo affirmavit S. Doctor, quia talem essentiae divinae notionem habuit, ut in ea includatur

existentia. Si ergo in tantum propositio aliqua est per se nota in quantum praedicatum includitur in notione subjecti, et hanc terminorum identitatem propositioni Deus est, quae huic aequivalet: Deus est existens, S. Thomas asseruit, consequens est, quod eadem propositio videretur illi per se nota. Verumtamen, cum ipse doceat existentiam Dei demonstrari per effectus, non autem e sola Dei notione constare nobis; non potuit dicere, quin sibi contradiceret, propositionem Deus est sapientibus esse per se notam: nam si praedicatum hujus propositionis, quae realem Dei existentiam enuntiat, ejusdem propositionis subjecto cognoscunt sapientes esse identicum vel essentialiter convenire, sufficit sapientibus Deum cogitare, secluso alio medio, ad sciendum Deum esse. Hanc igitur vitavit contradictionem, sed non aliam, de qua supra locuti sumus. Difficultates autem istae evanescent dicendo, (quod meo saltem iudicio certum est) propositionem Deus est non esse per se notam, quia praedicatum existens non includitur in notione subjecti Deus, quamvis existere Deo essentielle est.

g) Ad hoc autem evincendum alia multa, de quibus S. Thomas non loquitur, consideranda sunt. Non ideo negamus propositionem Deus est esse per se notam, quia Deum esse non est per se notum: nam aliud est, propositionem aliquam esse per se notam; aliud vero, per se notam esse veritatem quae per propositionem enuntiatur. Ut propositio sit per se nota, necesse est, ut diximus, praedicatum contineri in notione subjecti: ut autem sit per se nota veritas per propositionem enuntiata, requiritur insuper, in propositionibus per se notis, ut veritas ipsa cognoscatur sine aliquo medio seu per solam perceptionem terminorum propositionis, ut in hac: totum majus est sua parte: nam si ad cognoscendam veritatem enuntiationis perceptio terminorum non sufficiat, sed demonstratione opus sit, ut in hac: omne spirituale est immortale; tunc etsi propositio est per se nota, non tamen est per se nota, ut patet, veritas enuntiata, si quidem non immediate cognoscitur. Hoc autem intelligendum est respectu eorum qui minus perfectam subjecti propositionis notionem habent: nam sicut omnes v. g. praedicatum majus sua parte absque demonstratione in subjecto totum intelligunt contineri, ita sapientes praedicatum immortale subjecto spirituale e sola terminorum perceptione intelligunt convenire. Potest igitur propositio esse per se nota, quin sit per se nota veritas in propositione enuntiata; sed potest etiam veritas enuntiata esse per se nota, quin talis sit propositio eam enuntians. Sic propositio mundus est existens non est per se nota; de quo nemo dubitare potest, cum existentia mundi sit contingens; et nihilo minus nobis per se notum est mundum existere, cum entitas mundi sit nobis per se conspicua. Ratio autem hujus inter pro-

positiones discriminis est, quia unio vel separatio terminorum propositionis per affirmationem aut negationem fundari potest vel in natura subjecti, ut in hac, homo est rationalis; vel in cognitione experimentalis, ut in hac, Petrus est doctus. Jam vero experimentalem cognitionem entitatis Dei certe non habemus; sed nihilominus experimentalis cognitio creaturarum medium nobis est detegendae existentiae Dei; non quidem quatenus ut entia praecise eas cognoscimus, sed quatenus ab alio ente productas esse deprehendimus. Si ad relationem causalitatis attendamus, per quam ex effectus existentia inferimus existentiam causae, profecto demonstratio haec existentiae Dei fundatur, sicut omne ratiocinium, in veritate ordinis idealis, seu in propositione universalis, vel in natura subjecti, quod in hac demonstratione creaturae sunt: si vero attendamus ad subjectum propositionis Deus est existens; demonstratio ipsa non potest fundari in natura subjecti, cum Deus in illa non cogitetur, donec existens cognoscitur ex effectus existentia: Dei enim nomine causam intelligimus omnium entium; causam autem omnium entium, cum non solum causalitas ejus, sed etiam entitas sit nobis occulta, non cogitamus, spectato demonstrationis ordine, donec entia ipsa cognoscimus esse causata, ut supra fuse probatum est. Relinquitur ergo quod non ex notione subjecti Deus, sed ex cognitione experimentalis creaturarum cognoscimus existentiam Dei. Mundi vero existentia experimentaliter cognoscitur per se; et nihilominus propositio mundi existentiam enuntians non est per se nota: per quod ostenditur quod aliud est, propositionem esse per se notam; aliud vero, talem esse veritatem quam propositio enuntiat. Inquirendum est ergo an sit per se nota propositio Dei existentiam enuntians, eo quod Deus non contingenter, sed necessario existat; quamvis non sit per se nota ipsa Dei existentia.

*h)* Videamus igitur an sit legitima illa S. Thomae consequentia dicentis: „Dico ergo quod haec propositio, Deus est, quantum in se est, per se nota est: quia praedicatum est idem cum subjecto. Deus enim est suum esse.“ Inquirendum est nimirum an ex eo quod Deus est suum esse, recte inferatur propositionem Deus est esse per se notam. Propositio Deus est suum esse identitatem quidem significat existentiae Dei cum sua essentia; haec autem identitas non quomocumque intelligenda est, sed quatenus conceptus existentiae pariter essentialis est, id est, essentia realis vel physica Dei non existit contingenter, sed essentialiter vel a seipsa; ita ut ambae, essentia nempe et existentia, accipiantur in hac identitate vel tamquam ideales, vel tamquam reales; non autem ut idealis altera, altera vero ut realis; nemo quippe non videt quam absurdum sit quod essentia non existens

vel essentia idealis idem sit cum existentia reali. Ergo etiam subjectum et praedicatum propositionis, essentiam et existentiam Dei significantia, si propositio sit per se nota, debent pertinere ambo ad eundem ordinem, vel idealem scilicet vel realem; secus enim praedicatum non esset idem cum subjecto. Sic de utroque ordine indiscriminatim intelligi possunt hae propositiones: Deus est suum esse vel sua existentia, existentia Dei est sua essentia; propositio vero Deus est existens de sola reali existentia intelligi potest. Itaque propositio enuntians identitatem existentiae cum essentia non enuntiat realem existentiam, quoniam identitas intelligi potest de ordine reali vel ideali. Imo etiamsi identitas intelligatur de ordine reali, non enuntiat talis propositio realem existentiam, sed modum existendi, eo ipso quod dictam enuntiat existentiae cum essentia identitatem. Ergo propositio enuntians realem existentiam non enuntiat identitatem existentiae cum essentia; quoniam aliud est existere, aliud vero a se vel essentialiter existere. Si ergo propositio Deus est existens non enuntiat identitatem existentiae Dei cum essentia, ex hac parte nequit ipsa aequiparari propositioni Deus est suum esse, ita ut, sicut ista, sit per se nota, eo quod existentia Dei sit idem cum essentia. Dixi autem ex hac parte, quoniam ad hoc quod propositio sit per se nota, seu quod praedicatum continetur in notione subjecti, non est necesse identitatem utriusque termini in propositione enuntiar. Si enim dicam: Deus semper actu intelligit vel est actu intelligens, quamvis identitatem praedicati cum subjecto propositio haec non significat, vere tamen praedicatum in notione subjecti continetur, quoniam operatio in Deo substantialis est. Etsi ergo propositio Deus est existens identitatem existentiae cum essentia non enuntiat, ex hoc tamen non evincitur, praedicatum existens in subjecto Deus non includi. Sed jam ostendimus supra, existentiam non esse idem cum essentia nisi in eodem ordine, vel ideali scilicet vel reali: demonstrare igitur oportet, in propositione Deus est existens praedicatum et subjectum non pertinere ambo ad eundem ordinem, sed alterum esse reale, alterum vero ideale. Age nunc, praedicatum existens necessario significat existentiam realem, siquidem hanc propositio enuntiat: quando autem alicujus subjecti enuntiat existens realis, seu quum dicitur illud existere, necessario ipsum est ideale, quatenus talis propositionis sensus est: — quod in mente concipio, esse habet in rerum natura. — Ergo subjectum propositionis Deus est existens ad ordinem idealem pertinet, et consequenter non continetur in eo praedicatum. Ad quod clarius intelligendum et confirmandum considerare juvabit quod si subjectum Deus non esset ideale, sed repraesentaret Deum existentem, praedicatum existens redundaret, ut ex dictis patet;

haec autem redundantia in propositionibus per se notis locum non habet. Nam si dicam: homo est rationalis; etsi homo idem est atque animal rationale, nihilominus eo ipso quod propositio per praedicatum rationalis est declarativa ejus quod est homo, rationalitas hominis quae in praedicato significatur explicite, in subjecto continetur implicite; ipsumque subjectum non repraesentat distinctam hominis notionem, sed confusam; et sic in propositione nulla est redundantia. Praedicatum autem existens non est declarativum essentiae subjecti, neque alicujus attributi essentiae ipsius; nullatenus enim per illud distincta redditur idea Dei, quae in subjecto repraesentetur ut confusa, sed propositio simpliciter dicit reale esse id quod de Deo concipit intellectus. Talis autem enuntiatio, ut nemo non videt, ridicula evaderet, si propositionis subjectum repraesentaret ens reale. Ergo identitate existentiae Dei cum sua essentia non obstante, propositio Deus est existens non est per se nota, quia subjectum et praedicatum ejus non identificantur sicut identificantur in propositione Deus est suum esse vel sua existentia. Nec dicas praedicatum propositionis Deus est existens esse idem cum subjecto, eo quod propositio ipsa sit de materia necessaria: nam haec duo, videlicet, propositionem esse de materia necessaria et praedicatum esse idem cum subjecto, utique unum sunt, quando praedicatum et subjectum sunt ambo realia vel idealia; sed differunt in propositione de qua agimus, in qua praedicatum est reale, subjectum autem ideale. Nam ex una parte non potest quidem existentia nisi necessarie Deo convenire; et secundum hoc propositio Deus est existens dici debet de materia necessaria: ex alia vero ita Deus est sua existentia ut praedicatum existentia contineatur in subjecto ideali, si sit ideale; vel in subjecto reali, si sit reale; minime vero praedicatum reale in subjecto ideali. Et ideo propositio modalis Deus necessario existit vel est necessario existens potest esse per se nota, quia praedicatum ejus potest esse idem cum subjecto: potest enim ipsa significare, necessarium esse ut existat Deus, qui jam existens supponitur. Porro si talis sit sensus ejus, praedicatum est idem cum subjecto, quia ambo pertinent ad ordinem realem. Non autem erit per se nota, si sensus ejus sit, necessarium esse ut Deus, qui in mente concipitur, esse reale habeat.

*i)* Quae de propositione Deus est existens hucusque dicta sunt, omnia pendent a diverso modo significandi vocabulorum existens et existentia. Nominum quippe verbalium alia sunt simpliciter verbalia, quae habent quidem eandem verbi significationem, sed non secundum eundem verbi modum; alia vero sunt participia, id est, idem quod verbum, et secundum eundem verbi modum, secluso tempore, significantia. Id enim quod verbum

significat, spectari potest in potentia subjecti, ut in propositione Petrus est risibilis, in qua non enuntiatur nisi potentia subjecti relate ad id quod significat verbum in propositione Petrus ridet: unde verbale risibilis non est participium, quia non significat secundum eundem verbi modum, qui est significare risum Petri in actu. Rursus id quod verbum significat, spectari potest tamquam quoddam quid, ac si verbum esset nomen substantivum. Si enim dicam: homo non est suum intelligere, vel sua intellectio, enuntiatur in hac propositione distinctio subjecti ab eo quod significat verbum in propositione homo intelligit. Unde multo minus verbale intellectio habet eundem modum significandi cum verbo: nam verbum intelligit significat intellectionem adjective, quatenus ipsa praedicatur de aliquo subjecto; verbale autem intellectio eo modo significat intelligendi actum quo significatur quidditas cujuslibet rei solitarie sumpta. Ideo sane propositiones homo intelligit et homo non est sua intellectio sunt ambae verae, et non contradictoriae, quamvis altera affirmat, altera negat; quod esset impossibile, si verbale intellectio haberet eundem modum significandi ac verbum intelligit. Denique potest verbale significare secundum eundem verbi modum, id est, significare id quod verbum significat ut verbum, quod est significare illud non solum adjective, quatenus scilicet praedicatur illud de aliquo subjecto, prout supra diximus de praedicato risibilis, sed etiam in actu, non in potentia tantum subjecti; et hujusmodi verbale est participium. Unde propositiones homo intelligit et homo est intelligens sunt omnino identicae, cum ambae pariter enuntient intellectionem hominis in actu. Quibus enucleatis, veniamus ad praedicata existens et existentia. Praedicatum ergo existens, cum sit participium, habet eundem significandi modum cum verbo existere, ut verbum est; ita ut propositio Deus est existens idem dicat ac propositio Deus existit: unde cum verbum existit secundum suam propriam significationem necessario dicat existentiam realem, non idealem, praedicatum quoque existens de existentia reali intelligatur necesse est. Praedicatum autem existentia potest esse de ordine reali vel ideali, quia non significat secundum eundem modum verbi existit, sed ut nomen substantivum, repraesentat quidditatem ejus quod significatur a verbo, in abstracto spectatam, seu ad modum substantiae: omnis enim quidditas vel res, non excepta existentia reali, potest concipi solitarie vel in abstracto, et ideo ad modum rei per se subsistentis in sermone significari. Propter quod haec propositio: existentia hujusmodi hominis non est nullam contradictionem involvit; aequivalet enim propositioni existentia hujusmodi hominis locum non habet in rerum natura, vel propositioni hujusmodi homo

non existit. In prima enim ex his propositionibus subjectum existentia est ideale; et ideo de ipsa existentia dici potest sine contradictione quod non est. Si vero existentia realis non in abstracto sed in concreto spectetur, id est, secundum quod praedicatum adjective de aliquo subjecto, sic non potest significari ut idealis, nec concipi ut mere possibilis; secus enim subjectum existeret simul et non existeret. Ideo aperta contradictio est in hac propositione: quod existit, non est. Itaque in propositione Deus est sua existentia, quae identitatem exprimit existentiae Dei cum essentia, praedicatum et subjectum, propter modum significandi nominis existentia, possunt esse ambo vel idealia vel realia; et ideo haec propositio est per se nota, quia praedicatum est idem cum subjecto; nec tamen est per se nota, id est, immediate evidens, identitas existentiae Dei cum essentia, quatenus non omnibus talis inest idea Dei ut in ejus essentia videant inclusam existentiam. Sed etiamsi esset immediate evidens haec identitas, non ideo esset immediate evidens Deum realiter existere, quoniam, ut dictum est, existentia concipi potest ut mere idealis sicut essentia: imo nec mediate evidens, quatenus e sola notione Dei non recte infertur ejus realis existentia. Propositio vero Deus est existens nullatenus est per se nota; quia praedicatum ejus, cum sit ordinis realis, non includitur in subjecto, quod est ordinis idealis.

(Continuatio sequitur.)

## Die Geschichte der ehemaligen Benediktinerabtei Lubin von ihrer Gründung bis zu ihrer ersten Zerstörung im Jahre 1383.

Von Josef Paech, Priester der Erzdiözese Gnesen-Posen.

(Schluß zu Heft 4, 1908, S. 535 - 561.)

Aus dem schon früher und jetzt eben über die Kolonisation nach deutschem Recht Gesagten ergibt sich klar, daß eine Ansiedlung nach deutschem Recht, die den Bewohnern volle Freiheit und große Selbständigkeit brachte, für diese natürlich von ungeheurem Vorteil und deshalb auch für das allgemeine Wohl und den Wohlstand der Nation von gewaltiger Bedeutung war, daß dagegen die Grundherren ihrerseits an Einkünften viel einbüßten, wenigstens in der ersten Zeit nach der Neubesiedelung. Wenn sie trotzdem gern Ansiedelungen nach deutschem Rechte auf ihren Besitzungen vornahmen, so zeugt dies von einer großen Selbstlosigkeit im Interesse der Nation und ihrer Kultur, und